

# SAMPLE EXAM

1

PhD Qualifying Examination – Latin (FOUR HOURS)

August 2020

Please translate **FOUR** of the following passages, **TWO** verse and **TWO** prose into fluid and idiomatic English. You should divide your time equally among the four passages. No lexicon is allowed.

Poetry: Please translate TWO of the following three passages.

1. Terence *Adelphoe* 855-881

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit  
quin res aetas usu' semper aliquid adportet novi,  
aliquid moneat: ut illa quae te scisse credas nescias,  
et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.  
quod nunc mi evenit; nam ego vitam duram quam vixi usque adhuc  
iam decurso spatio omitto. id quā̄m ōb rem? re ipsa repperi  
facilitate nil esse homini meliu' neque clementia.  
id ēsse verum ex mē̄ atque ex fratre quoivis facilest noscere.  
ill' s<ua>m semper egit vitam in otio, in conviviis,  
clemens placidu', nulli laedere os, adridere omnibus;  
sibi vixit, sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.  
ego ille agresti' saevo' tristi' parcu' truculentus tenax  
duxit uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,  
alia cura. heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum  
facerem, contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam:  
nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,  
odium; ille alter sine labore patria potitur commoda.  
illum amant, me fugitant; illi credunt consilia omnia,  
illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertu' sum;  
illum ut vivat optant, meam autem mortem exspectant scilicet.  
ita eos meō labore eductos maximo hic fecit suos  
paullo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.  
age age, nunciam experiamur contra ecquid ego possiem  
blande dicere aut benigne facere, quando hoc provocat.  
ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo:  
si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.  
deerit: id meā minime refert qui sum natu maxumus.

## 2. Ovid *Ars amatoria* 1.41-66

Dum licet, et loris passim potes ire solutis,  
Elige cui dicas 'tu mihi sola places.'  
Haec tibi non tenues veniet delapsa per auras:  
Quaerenda est oculis apta puella tuis.  
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat,  
Scit bene, qua frendens valle moretur aper;  
Aucupibus noti frutices; qui sustinet hamos,  
Novit quae multo pisce natentur aquae:  
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,  
Ante frequens quo sit disce puella loco.  
Non ego quaerentem vento dare vela iubebo,  
Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.  
Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,  
Raptaque sit Phrygio Graia puella viro,  
Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,  
'Haec habet' ut dicas 'quicquid in orbe fuit.'  
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,  
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,  
Quot caelum stellae, tot habet tua Roma puellas:  
Mater in Aeneae constitit urbe sui.  
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis,  
Ante oculos veniet vera puella tuos:  
Sive cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt.  
Cogeris voti nescius esse tui:  
Seu te forte iuvat sera et sapientior aetas,  
Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.

## 3. Juvenal *Satires* 3.21-48

hic tunc Umbricius 'quando artibus' inquit 'honestis  
nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,  
res hodie minor est here quam fuit atque eadem cras  
deteret exiguis aliquid, proponimus illuc  
ire, fatigatas ubi Daedalus exiit alas,  
dum noua canities, dum prima et recta senectus,  
dum superest Lachesi quod torqueat et pedibus me  
porto meis nullo dextram subeunte bacillo.  
cedamus patria. vivant Artorius istic  
et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt,  
quis facile est aedem conducere, flumina, portus,  
siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,  
et praebere caput domina venale sub hasta.  
quondam hi cornicines et municipalis harenae

perpetui comites notaeque per oppida buccae  
munera nunc edunt et, verso pollice vulgus  
cum iubet, occidunt populariter; inde reversi  
conducunt foricas, et cur non omnia? cum sint  
quales ex humili magna ad fastigia rerum  
extollit quotiens voluit Fortuna iocari.  
quid Romae faciam? mentiri nescio; librum,  
si malus est, nequeo laudare et poscere; motus  
astrorum ignoro; funus promittere patris  
nec volo nec possum; ranarum viscera numquam  
inspexi; ferre ad nuptam quae mittit adulter,  
quae mandat, norunt alii; me nemo ministro  
fur erit, atque ideo nulli comes exeo tamquam  
mancus et extinctae corpus non utile dextrae.

Prose: Please translate TWO of the following three passages.

1. Cicero *De Amicitia* (Amic. 3-4).

Eius disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitrato meo; quasi enim ipsos induxi loquentes, ne 'inquam' et 'inquit' saepius interponeretur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur. Cum enim saepe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione tum nostra familiaritate visa est: itaque feci non invitus, ut prodessem multis rogatu tuo. Sed, ut in *Catone Maiore*, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius qui et diutissime senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset, sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens sic adficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem. Sed, ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior; nunc Laelius et sapiens – sic enim est habitus – et amicitiae gloria excellens, de amicitia loquetur.

2. Livy 21.4

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit; Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere; eundem vigorem in voltu vimque in oculis, habitum oris lineamentaue intueri. Dein brevi effecit ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imparandum, habilis fuit. Itaque haud facile discerneres

utrum imperatori an exercitui carior esset; neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus superesset quieti datum; ea neque molli strato neque silentio accersita; multi saepe militari sagulo opertum humi iacentum inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens: arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore, meruit, nulla re quae agenda videndaque magno futuro duci esset praetermissa.

### 3. Petronius 31-3

Allata est tamen gustatio valde lauta; nam iam omnes discubuerant praeter ipsum Trimachionem, cui locus novo more primus servabatur. Ceterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duae lances, in quarum marginibus nomen Trimalchionis inscriptum erat et argenti pondus.

in his eramus lautitiis, cum ipse Trimalchio ad symphoniam allatus est positusque inter cervicalia minutissima expressit imprudentibus risum. pallio enim coccineo adrasum excluserat caput circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus. habebat etiam in minimo digito sinistrae manus anulum grandem subauratum, extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum et eboreo circulo lamina splendente conexo. ut deinde pinna argentea dentes perfodit, 'amici', inquit, 'nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne diutius absentivus morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. permittitis tamen finiri lusum'. sequebatur puer cum tabula terebinthina et crystallinis tesseris, notavique rem omnium delicatissimam. pro calculis enim albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios.